

The Electronic Manipulus florum  
www.manipulusflorum.com

Instabilitas h  
cum fonte primo

Mutare loca et in alium de alio transilire  
nolo.

Frequens migratio instabilis est animi.

Vt animum possis continere, primum  
corporis fugam siste. Deinde  
plurimum remedia continuata proficiunt.

Sine dediscere oculos tuos, sine aures  
assuescere sanioribus uerbis. Quociens  
processeris, aliqua que  
remouent cupiditates occurrent.

Seneca in epistola.

Mutare te loca et aliunde alio transilire  
nolo,

primum quia tam

frequens migratio instabilis animi est:  
coalescere otio non potest nisi desit  
circumspicere et errare.

Ut animum possis continere, primum  
corporis tui fugam siste. Deinde  
plurimum remedia continuata proficiunt:  
interrumpenda non est quies et vitae  
prioris oblivio;

sine dediscere oculos tuos, sine aures  
adsuescere sanioribus uerbis. Quociens  
processeris, in ipso transitu aliqua quae  
renouent cupiditates tuas tibi occurrent.

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium  
epistulae morales*, 69, 1-2 (L. Reynolds  
ed., vol. 1, p.201, ll.4-12).